

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1321

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1255

C O D I C E S

1256

Si Thesum XIV. (tot enim numero sunt) literas initiales componas, habebis: *Ferdinandus III.* qui ejus aetatis lusus fuere.

CCCXXVI.

618 Codex membraneus lat. Sec. partim XIII. partim XII. Folior. nunc 160. 4. a diversis manibus partim lineis longis, partim vero per 2. columnas exaratus complectitur sequentia: I. Tractatum Theologicum de Deo, cuius prima Quaestio: *Vtrum Theologia sit scientia?* Ultima: *Utrum plures ydee sint in deo?* in qua abrumpitur. Autor nullibi notatur.

II. fol. 57. *Incipit uita sancti Siluestri pape.* Hoc tenore: *Sanctus Silvester cum esset infantulus a uidua matre iusta nomine et opere nutritus traditus est cirino presbitero &c.* Vide, si placet, quae

de hac *Vita* ad *Cod. CCXCVIII.* dicta sunt. In praesenti concordat cum Exemplo *Bon. Mombritii de Vitis SS. T. II.* ibid. citato usque ad verba: *et ineftimabilem affluentiam gaudiorum*, post quae in *Codice* additur fabulosa Narratio Somnii *Constantini M.* in quo a *Silvestro* jussus est oratione *Aniculam* mortuam ad vitam revocare; haec vero *Anicula Byzantium* erat, ab ipso deinceps restaurandum et suo compellandum nomine. Figmentum hoc ita incipit: *Post hec Constantinus augustus habuit bellum scitarum et uigoria celebrata cum esset in partibus traciarum in ciuitate que bizantium uocabatur, uidit sompnum &c.* Et finit: *et appellata est constantinopolis. id est constantini ciuitas. usque in bodiernum diem.*

III. fol. 86. *Incipiunt nomina episcoporum sancte coloniensis Ecclesie.*

*Pontificum gesta breuitate profatur honesta
Urbis agripine discreto singula fine.*

Catalogus sic init: *Aput agrippinam nobilem ciuitatem gallie primus adeptus est episcopatum sanctus maternus treuirorum ac tungrorum pariter episcopus.* Anno ibesu XC. IIII. Domitiano imperatore regnante. seditque annis XL. et obiit Colonie sub adriano imperatore. Anno domini C. XXIII. Qui treuerim delatus cum sanctis Euchario et Valerio honorifice est tumulatus. Vides, sermonem esse de *Materno*, quem quidam a *S. Petro* submissum esse volunt;

verum ab a. 94. ad an. 123. non 40. sed ad summum 30. anni fluxere. Pergit Noster: *Deinde usque ad effratam (Euphratam) hereticum nullus colon. ecclesie profuisse dinoscitur.* de quo varie traduntur coniecture. uel quod in paganismum fuerit relapsa. uel si qui episcopi successerunt. ob persecutionem latenter prefuerunt. uel sicut beatus maternus successores eius cum treuerensi Coloniensem ecclesiam usque ad prefatum hereticum regebant. Conjecturis hujusmodi

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1321

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1257

D O G M A T I C I .

1258

modi opus non est iis, qui *Maternum* ad Seculi IV. initia depo-
nunt; tunc enim inoffenso pede
procedit series, ut in *Galliae
Christ.* T. III. p. 621. quacum
nostram contendi, et sequentia
obervo: *Eupratam* nostra non
computat, *Aquilinum Solarium*
adpellat, *Simoneo Remedium* sub-
dit, a quo statim transit ad *Kuni-
bertum*, *Agilolfum* praeponit *Rei-
ginfrido*, *Hildegerum* ait occisum
in monte, qui dicitur *Wiberg*,
Hildebertum dissimulat, *Waldrada-
m Lotharii* Imp. concubinam
diserte *Guntharii* Ep. sororem vo-
cat, eumque probabilius apud
Xantum (Xanten, Santen) quam
Zanecis, ut in suo Catal. habet
Levoidus T. II. *Rer. Germ. Meibom.*
periisse adfirmat, *Hugonem*
et *Hilduinum* omittit, de *Bruno-
ne* I. istud notabile: *fatus Epi-
scopus sponsam suam inclitam Coloni-
am a iugo ancillari excusfit. frenum
tributi eius soluit ac libertati-
eam pristine donans primus in ea*

glorie benedictionem inseruit. In
ceteris cum *Gallia Christ.* conspi-
rans ita definit: *Quinquagesimus
II^{us}. successit Engilbertus de val-
kinberg prepositus maioris ecclesie
Colon.* Itaque annus MCCLXII.
illi extremus est, sed cum haec
verba a diversa manu sint, Se-
ries ipsa aliquo tempore prius
conscripta videtur. Hinc anti-
quior *Catalogis* illis, quorum
praevie *l. cit.* meminit *Gallia
Christ.* et fertilis rerum praeci-
pue, quod ad posteriores Prae-
fules adtinet, nec autoritatis sper-
nendae.

IV. fol. 90. p. 2. Indiculus
Imperatorum a *Carolo M.* adjec-
tis cuivis annis Regiminis, si
ultimum demas *Fridericum* II.
cui cum nihil additum sit, eo
vivente, igitur ante an. MCCL.
scriptum conjecto. Comparet in
eo etiam *Cendeboldus*. Ad cal-
cem legas Feriati cuiusdam ver-
ficulos, qui repraesentari meren-
tur:

*Militat hanc aliquis nisi miles. militat autem
Omnis amans. ergo nil nisi miles amat.*

Sequitur in speciem opponentis:

*Solus in arte sagax est clericus. ergo decenter
Solus amat, cum sit arte regendus amor.*

Clericum, quaeso, hic accipe,
ut solebat, hominem literatum,
Notarium, Scribam &c.

V. fol. 91. *Incipiunt sententie
bone circumquaque collecte.* Puta
e *Bernardo*, *Hieronymo*, *Grego-
rio M.* *Augustino*, *Beda* &c.

VI. fol. 95. *Visio Tungdali*,
Tundali, *Tbundali*, *Tondali* Mi-
litis *Hiberni* patria *Casselensis*,
cujus Anima peregrinata e cor-
pore Damnatorum poenas et Bea-
torum gaudia lustrasse dicitur. In-
cipit Prologus: *Uenerabili ac deo
deuote*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1321

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1259

C O D I C E S

1260

deuote domine G. dei dono abbatisse frater Marcus sibi deuotus famulus utinam tam ualidum quam paratum seruitum. Cum multi sint uocati pauci uero electi &c. Ignotum hunc Marcum interpretem tantum egisse, ex his verbis liquet: *Placuit namque uestre prudentie quatenus misterium quod ostensum fuerat Tungdalo cuidam bybernigeno noster stilus licet interuditus de barbarico in latinum transferret eloquium.* Itaque Author ipse, qui narrationem aut ex ore ipsius *Tungdali* exceptit, aut se excepisse finxit, sermone tunc *Hibernis* proprio, et nunc etiam Plebi familiari conscripsisse eam videtur. An *Αὐτογέαφον* istud etiamnum extet, *Tannerus* in *Biblioth. Brit. Hib.* non memorat. *Prologum* porro nostrum, in quo *Visio* anno MCXLIX. adfigitur, *Martenius* demum T. I. *Anecdot.* p. 490. produxit, cum *Visio* ipsa jam a *Vincentio Bellovac.* inserta fuisset, facta etiam *Marci nostri* mentione, *Libro XXVII. Speculi Historial.* c. 88. impressaque Sec. XV. latine, germanice et belgice, ut habes in *Supplemento* meo *Maitairiano.*

VII. fol. 100. p. 2. *Incipit passio beate katerine uirginis et martiris.* Initium: *Tradunt annales hyfforie &c.* Eadem prorsus indicata est alibi, ut *Index* docet.

VIII. fol. 113. *Incipit uita sancte helene matris constantini imperatoris.* Initium: *Cum rex regum et dominus dominantium ecclie sue quam per infirma mundi*

plantaverat &c. Exemplum hujus non tam *Vitae*, quam *Homiliae* in transitum B. *Heleneae* naeti sunt e Collegio Canon. Reg. *Bodecensi* Hagiographi *Belgae*, illudque recensitum dedere ad diem 18. *Augusti* p. 578. quo te, si lubet, refer.

IX. fol. 115. *Incipit passio beate margarete.* Initium: *Post passionem et resurrectionem domini nostri ibesu christi et gloriosam ascensionem eius in celos &c.* Habetur in *Bon. Mombritii* T. II. de *Vitis SS.* ubi, qui totam narrationem texit, *Theotimus* minus recte, ut puto, *Tedinus* dicitur.

X. fol. 119. p. 2. *Incipit passio beati Thome apostoli.* Initium: *Apparens dominus apostolo suo thome apud urbem cesaream ostendit ei prepositum familie regis indorum gundiforum nomine &c.* Eadem, sed succinctius, legas apud mox cit. *Mombritium.* In Cod. tamen adjecta sunt *miracula beati thome apostoli*, Fabula scilicet de Eo singulis annis Populo Eucharistiam distribuente, de qua jam actum Cod. CLXV. quaeque rhythmis germanicis conclusa *Bambergae* 1493. 4. typis prodita est.

XI. fol. 121. p. 2. *Passio beatorum apostolorum petri et pauli.* Initium: *Paulus seruus domini uocatus apostolus ibesu christi.* cum uniuersas grecie partes &c.

XII. fol. 122. *Passio beati iacobi apostoli.* Initium: *Apostolus dominii nostri ibesu christi iacobus beati iohannis evangeliste germanus &c.*

XIII.

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1321

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1261

D O G M A T I C I .

1262

XIII. fol. eod. p. 2. *Vita beati philippi apostoli.* Initium: *Cum post ascensionem domini predicas set gentibus in scitia beatus philippus &c.* Geminam huic *epitomam* exhibent *Bollandiani* ad diem 1. *Maji* p. 11. quemadmodum omnibus tribus similia apud *Mombrition* cit. invenias.

XIV. fol. 125. praevio tamen Indice *Incipit Gemma. De diuinis officijs per circulum Anni.* Ut ad Cod. DCCXCI. observavimus, *Honorii Augustodun.* est. Praeit Epistola Solitariorum: *Agmen in castris eterni regis &c.* sed Opus in tractatione de Oratione Dominica ad illa verba: *cum nos filio eius uniti — abrumpitur;* quod dolendum, cum *τα σωζομενα* ab eleganti manu fint.

CCCXXVII.

374 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 92. f. per duas columnas admodum nitide scriptus, rubricisque pernotatus est *Tractatus de Deo ex intima Theologia scholastica petitus*, cuius *Praefatio* excidit, unde nomen Autoris *Raymundi* e calce praeoccupare cogor. Initium ejus nunc est: *De prima distinctione. Distinctio ista in duas partes est diuisa. Prima est de principiis. Secunda est de regulis. Principia enim sunt XVIII.* videlicet. *bonitas. Magnitudo. Eternitas. Potestas. Intellectus &c.* Quo loco habita fuerint Autoris subtilitatibus *Aristotelicis* penitus innutriti aevo linguarum praesidia, liquet fol. 87. ubi de *Sensu*

Autoritatis tanquam genere agens quatuor illi species subjicit, vide- licet Litteram, Allegoriam, Tro- pologiam et Anagogiam et addit: Et quia ista Vocabula sunt Greca et barbara, impediunt linguam la- tinam. Vnde propter hoc volumus venari istas species quatuor modis. ut euitemus confusionem umbram et sensum enigmatum grecorum ut ad clarum spiritum latinorum ve- niamus. Itaque vocabula Funda- mentum, paries, teatum, habita- cio substituit. De Libro suo ita finit: Qua de causa correptioni ip- sum submitto romane ecclesie sa- crosancte tamquam catholicus chri- stianus. Additur literis grandiu- sculis: Ad laudem et honorem Do- mini nostri ihesu christi Et beate Marie semper Virginis matris eius. eciam angelorum et sanctorum om- nium paradisi. Fatus est Liber iste quibus ipsum offero et comen- do et ipsum per consequens Patri sanctissimo domino Clementi V. Et venerabilissimis dominis Cardinalibus recomendo. Et excellen- tissimo phylippo francorum Regi Domino una cum clericorum pari- sciencium reuerendissima facultate. Supplicando prout possum quatenus videant librum istum et ipsum pro- moueant multiplicant et exalent. quia dei fatus est ad honorem. Fi- niuit Raymundus librum istum di- uina gracia adjuuante apud monte- pessulanum in Mense May. Mil- lesimmo Trescentesimo 8°. Incar- nacionis domini nostri ihesu christi. Deo Gratias. Amen. Est hic fa- mosus ille Raymundus Lullus Majoricensis tertii Ord. Francisc.